BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 Seite 98r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tuum obprobrium. Inventi sunt sermones
tui, et comedi eos. Et factum est verbum
tuum michi in gaudium et in leti-
tiam cordis mei: quoniam invocatum est
nomen tuum super me domine deus
exercituum. Non sedi in consilio luden-
tium, et gloriatus sum a facie ma-
nus tue. Solus sedebam: quoniam ama-
ritudine replesti me. Quare factus est
dolor meus perpetuus, et plaga mea
desperabilis renuit curari? Facta est mi-
chi quasi mendacium aquarum infidelium.
Propter hoc hec dicit dominus: Si conver-
teris convertam te, et ante faciem meam sta-
bis. Et si separaveris preciosum a vili, quasi
os meum eris. Convertentur ipsi ad
te, et tu non converteris ad eos. Et dabo
te populo huic in murum ereum fortem.
Et bellabunt adversum te et non preva-
lebunt: quia ego tecum sum ut sal-
vem te et eruam te dicit dominus.
Et liberabo te de manu pessimorum, et re-
dimam te de manu fortium. XVI.
Et factum est verbum Capitulum.
domini ad me dicens: Non
accipies uxorem, et non erunt
tibi filii et filie in loco isto: quia hec
dicit dominus super filios et super
filias que generantur in loco isto, et
super matres eorum que genuerunt eos,
et super patres eorum de quorum stirpe sunt
nati in terra hac. Mortibus egrotatio-
num morientur: non plangentur
et non sepelientur: in sterquilinium
super faciem terre erunt: et gladio et
fame consumentur: et erunt cadavera
eorum in escam volatilibus celi et bes-
tiis terre. Hec enim dicit dominus: Ne
ingrediaris in domum convivii, neque
vadas ad plangendum, neque conso-
leris eos: quia abstuli pacem meam
a populo isto dicit dominus, misericordiam
et miserationes, et morientur grandes et par-
vi in terra ista: non sepelientur neque plan-
gentur, et non se incident, neque cal-
vicium fiet pro eis. Et non frangent inter
eos lugenti panem ad consolandum
super mortuo: et non dabunt eis po-
tum calicis ad consolandum super
mortuo patre suo et matre. Et domum
convivii non ingredieris ut sedeas cum
eis et comedas et bibas: quia hec dicit
dominus exercituum deus israel: Ecce
ego auferam de loco isto in oculis vestris
et in diebus vestris vocem gaudii et vo-
cem leticie, et vocem sponsi et vocem
sponse. Et cum annunciaveris populo
huic omnia verba hec, et dixerint tibi:
Quare locutus est dominus super nos
omne malum grande istud? Que iniqui-
tas nostra, et quod peccatum nostrum quod pec-
cavimus domino deo nostro? Dices
ad eos: Quia dereliquerunt me patres
vestri ait dominus: et abierunt post
deos alienos et servierunt eis, et adora-
verunt eos: et me dereliquerunt, et legem
meam non custodierunt. Sed et vos
peius operati estis quam patres vestri.
Ecce enim ambulat unusquisque post
pravitatem cordis sui mali, ut me
non audiat. Et eiciam vos de terra
hac in terram quam ignoratis vos et
patres vestri: et servietis ibi diis alienis
die ac nocte, qui non dabunt vobis
requiem. Propterea hec dicit dominus
ecce dies veniunt dicit dominus,
et non dicetur ultra vivit dominus
qui eduxit filios israel de terra egypti:
sed vivit dominus qui eduxit filios
israel de terra aquilonis, et de universis
terris ad quas eieci eos: et reducam eos
in terram suam quam dedi patribus eorum.
Ecce ego mittam piscatores multos
dicit dominus, et piscabuntur eos